





VEITH



SCRIPTURA

SACRA



2

VETUS

TESTAMENTUM

BT1101

V4

v.2

007472



1080015138

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

SCRIPTURA
SACRA
CONTRA INCREDULOS
PROPUGNATA

AUCTORE

LAURENTIO VEITH S. I.

SS. THEOLOGIAE DOCTORE
EIVSDEMQUE OLIM IN LYCAEO CATHOLICO AUGUSTANO
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

VOLUMEN II.

VETUS TESTAMENTUM

PARS POSTERIOR

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

TAURINI 1867

EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

TYPOGRAPHI-BIBLIOPOLAE



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

FONDO EMERITICO
VAL VERDE Y TELLEZ

44582

V. 239.
V.
BT1101
V4
v. 2

3

VETUS TESTAMENTUM

PARS IV.

TOBIAS, IUDITH, ESTHER ET IOB

Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit.

TRIDENT., Sess. IV in decr. de can. Script.

SECTIO I.

DE LIBRO TOBIAE

Hic liber, in cuius priore parte Tobiae senioris vita, posteriore vero peculiaris Dei circa eius filium providentia commemoratur, verisimillime auctorem habet utrumque Tobiam, patrem scilicet et filium. Hi enim, ut historiam hanc literis mandarent, ab angelo iussi sunt (1) his verbis: *Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia eius*, seu ut graecus textus habet: *γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον*, *Scribite omnia quae consummata sunt in libro*. Itaque verisimillimum est, quod Tobias senior, adiuvante filio suo, hunc librum usque ad caput 14, in quo eius obitus recensetur, scripserit: filius vero solus illud cap. 14 usque ad versum 16, in quo eiusdem Tobiae iunioris e vita excessus narratur. Quod reliquum est capituli, ab alio auctore theopneusto seu divinitus inspirato, quem ignoramus, supplementum. Calmet (2) ait: Liber hic utrumque Tobiam habuit auctorem, vel saltem hi monumenta reliquerunt, quibus inspectis, recentior quidam auctor librum hunc digessit,

(1) Tob. c. 12, v. 20.

omnibus fere phrasibus priorum scriptorum servatis.

1. QUÆRES I. *Utrum liber TOBIAE, alique libri deutero-canonici, quos Tridentinum in canone sacrorum librorum posuit, inter canonicas Scripturas recte a catholicis censeantur?* R. affirmative. Antequam autem hanc assertionem contra protestantes, aliosque ecclesiae catholicae adversarios probem, quaedam praevis observo. Ac imprimis notandum est, quod biblia protestantium dissentire hic incipiant a bibliis catholicorum, librumque Tobiae cum aliis, quos catholici deutero-canonicos appellant, inter apocryphos reponant. Ut autem ista distinctius intelligantur, explicandum est, quid sit canon s. Scripturae? Quid libri proto-canonici? Quid deutero-canonici? Quid libri apocryphi? Itaque *κανον* graeca vox *regulam* primario significat; deinde ea etiam, quae accedunt ad formam regulae, ex. gr. tabellas, ligna nempe laevia et oblonga. Et quoniam tabellis huius-

(2) Praefat. in l. Tobiae.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

007872